



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XXVII. De Fide Instrumentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

Unt in alio *Judicio* inter easdem per-  
sonas. Censent tamen communiter *an pro-*  
Doctores, quod attestations in *Judicio*  
Summario receptæ, fidem non fa- *bent in*  
ciant in Ordinario, quia in Summario *alio ?*  
non tam solenniter & diligenter recipi-  
untur, sicut in Ordinario. Similiter  
probationes sive per testes, sive alio  
modo factæ in *Judicio civili*, nullam  
faciunt fidem in *Criminali*.

## TITULUS XXVII. DE FIDE INSTRUMENTO- RUM.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 22.*

§. 328.

POst Testes viva voce deponentes, *Instru-*  
præcipuum inter Probationes in- *mento-*  
artificiales locum obtinent Instrumen- *rum*  
ta. In sensu latissimo *Instrumentorum*  
nomine ea omnia accipienda sunt, quibus  
causa instrui potest: Et ideo tam testimonia,  
quam personæ, *Instrumentorum loco habentur* 63.). Hoc loco autem intelligun-

B b 3 tur

---

63.) L. i. ff. de fide Instrum.

tur scripturæ, aliquod negotium vel ejus narrationem continentes. Aliud Instrumentum est *publicum* a publica persona ratione publici officii confectum cum debitis solennitatibus: aliud *privatum*, factum per personam privatam, vel etiam per publicam, sine tamen consideratione officii sui, vel non observatis his, quæ in publico Instrumento requiruntur. Agemus I. De Instrumentis privatis. II. De Publicis a Notario confectis, vel aliunde auctoritatem publici Instrumenti obtinentibus. III. De Diplomatum veterum temporum.

*Privato-  
rum*

§. 329. Inter Instrumenta privata, quæ conficiuntur super singularibus quibusdam negotiis per homines singulares & privatos ad eum præcipue finem, ut ex tali scriptura ostendi & probari possit debitum, contractus, vel conventio cum aliquo inita, numerantur I. *Apoche*, quæ significant cautionem solutæ pecuniæ, quæ a Creditore datur Debitori, solutionis probandæ gratia. II. *Antapocha*, quæ est Cautio a Debitori solvente census, pensionem vel redditum annuum, data ipsi Creditore, ut hic inde probare queat, talem pecuniam sibi pro censu vel  
redi-

*De Fide Instrumentorum.* 391

reditu solutam fuisse, ad impediendam  
prescriptionem, quam. ortassis debitor  
pensionis, aut ejus hæredes aliquando  
objicere possent. III. *Syngrapha*, quæ scri-  
bitur, vel saltem subscribitur propria  
manu eorum, qui paciscuntur vel con-  
trahunt, in ipsius contractus vel con-  
ventionis fidem. IV. *Chirographum*,  
quod manu privati scriptum, vel sub-  
scriptum traditur alicui, ad rei gestæ  
fidem & probationem, præsertim pro  
contestatione pecuniæ mutuo acce-  
ptæ. Unde vocantur Creditores Chi-  
rographarii, qui solo Chirographo ni-  
tuntur, ad differentiam Hypothecario-  
rum. Hæ omnes scripturæ continen-  
tur sub generali nomine *Cautionis*.

§. 330. Sub privatis Instrumentis *Varie*  
intelligitur etiam domestica *adnotatio*, *species.*  
seu propria testatio 64.): *Epistola*, quam  
vulgo *Missivam* vocant 65.): *liber Ra-*  
*tionum* ad domesticos usus privatim  
scriptus &c. Libri Mercatorum &  
Campforum nostri temporis sunt tan-  
tum libri privati: nihilominus *Consue-*  
*tudo* & statutum in multis locis, ubi

B b 4

majo.

---

64.) L. 5. & 7. C. de Probat.  
65.) L. 29. ff. eod.

majores negotiationes vigent, plenam fidem tribuit his libris, si rite & juxta statuta sint confecti. Hæ Scripturæ ex forma scribendi sortiuntur quandoque varia nomina. Est *Charta Paricla* 66.), seu potius *Paricula*, quæ pertinet ad formulas judiciarias in causis privatorum, sic dicta, quod ejusdem exempli duæ chartæ litigantibus dandæ essent, ubi neutra pars victa dici poterat: unde *equales præceptiones eis fieri & accipere jussimus*, donec scilicet melior probatio ab alterutra parte fieret. Similes Chartæ Pariculæ fiebant inter duos bona aliqua commutantes 67.). His chartis Pariclis successerunt chartæ *indentate*, in una membrana ita scriptæ, ut in duo dissectis, quæ interjacebant, alphabeti aliisque majoribus literis, ambo

- 
- 66.) Apud MARCULPHUM lib. I. c. 38.  
 67.) Unde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum vel honorum hominum firmatas, inter se fieri, & firmare rogaverunt, ut unusquisque post hunc diem quod a pari suo in commutatione accepit, teneat atque possideat. Sic habet Charta XIV. inter Formulas varias MARCULPHO adjunctas. fol. 396. ex Editione BRUNONII

ambo exempla inter duos dividerentur: vocabantur etiam chartæ *ambagi- nales* 68.). His chartis Pariculis æquivalent inter homines plebejos Bacilli lignei fissi incisim transversim crenis, quorum unum apud se tenet emptor, alterum venditor: si jungantur, & crenæ utriusque sibi respondeant, patet debitum, & habebitur plena probatio. Si incertum sit, ad quem finem hæc signa sint facta, vel aliqua dissimilitudo appareat, Judicis est determinare, quænam pars ad juramentum admitti, vel ad probandum adigi debeat.

§. 331. Generalis Regula est, quod *Scriptura* scriptura privata per scribentem recognita plene probet contra ipsummet scribentem; non recognita nihil probet: sicut etiam a scribente recognita non probat in præjudicium tertii 69.). *tem.*

B b 5

Juvat

---

68.) De his loquitur MABILLONIUS de Re Diplomat. Lib. 1. c. 2. fol. 5. & 6. Exemplum talis chartæ exhibet Lib. 5. fol. 428. seq. de Sigillo his chartis impresso agit Lib. 2. c. 18. fol. 149.

69.) De Recognitione Literarum a se scriptarum elegantem doctrinam tradit INNOCENTIUS III. Lib. 12. Epist. 99. scilicet

Juvat aliqua annotare circa quasdam species Scripturæ privatæ paulo ante enumeratas.

*Chirographum:*

§. 332. *Chirographum* confessatum a scribente, plene probat debitum, modo contineat causam debiti 70. ): alioquin præsumitur ex errore scriptum; nisi talis cautio fiat in favorem piæ Causæ, vel causa debiti probari, aut saltem præsumi possit 71. ). Ex *Chirographo* non probatur debitum, si intra biennium opponatur exceptio non numeratæ pecuniæ. Si autem negetur *Chirographum*, debet probari vel ipsum negotium, quod in eo continetur; vel debet probari, quod vere sit scriptura  
ejus,

---

cet sufficere, si quis recordetur facti, quod in literis continetur, quamvis non recolat seriem verborum, modo nulla falsitas appareat.

70. ) C. 14. de fid. Instrum. Conformis est L. 25. §. ult. ff. de Probat. ex qua concluditur, defectum omisæ causæ debendi debere suppleri a creditore, qui debet probare, debitum esse, quod in cautionem deductum est. Si autem causa debendi esset adjecta, deberet probare debitor, id esse indebitum.

71. ) Vid. FELINUS in cit. C. 14.

ejus contra quem producitur: hæc autem probatio fit per testes, vel per comparationem literarum 72.). Creditor dum chirographum debitori suo reddit, vel illud cancellat, aut comburit, eo ipso pactum de non petendo inire censetur, dummodo id non fortuito, sed consulto fecerit 73.). Si quis possidet chirographum alteri inscriptum, ex hoc solo se non legitimat, quod sibi nomen cessum sit; consequenter non admittitur tanquam Procurator in rem suam 74.).

§. 333. *Apocha* seu Cautio liberato-*Apocha*;  
ria valet & probat, etiamsi non adjiciatur causa; nihilominus intra triginta dies a tempore expositæ hujus cautionis

---

72.) De hac comparatione legi meretur NICOL. EVERHARDUS tract. de fide Instrument. Cap. 9. n. 146. seqq.

73.) ADRIANUS Cæsar, teste ÆLIO SPARTIANO in vita, infinitam pecuniam privatis debitoribus remisit, syngraphis in foro D. Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Plura exempla recenset AUG. LEYSER. Vol. I. specim. 42. med. 6.

74.) LEYSER. vol. 3. spec. 201. med. 2.  
Vid. supra Tit. 7. §. 76.



nis numerandos, opposita exceptione vel replicatione pecuniæ non numeratæ non præjudicat Creditori, nec plene probat pecuniæ solutionem. Confessio tamen acceptæ solutionis facta in ultima voluntate, omnino probat, & operatur liberationem debitoris.

*Epistola.*

§. 334. *Epistola*, per quas aliquis cum absente & literas recipiente loquitur, id habent singulare, ut probent pro scribente, si is qui literas recepit, legit & sine contradictione retinuit: hoc ipso enim censetur approbare & fateri, vera esse, quæ ibi continentur; modo ea, quæ scribuntur, attingant aliqua ratione tam eum, qui scribit; quam illum, ad quem scribitur. Appono exemplum. Titius scripserat Sempronio, se quasdam merces ad Sempronium pertinentes recepisse: verum ad instantiam Cornelii, asserentis se creditorem Sempronii, easdem merces a Magistratu fuisse arrestatas, & apud Cajum sequestratas. Ad has literas Sempronius nihil respondet: post aliquot autem menses agens contra Titium ad repetitionem mercium, in vim probationis Epistolam Titii producit, in qua Titius fatetur, se eas merces recepisse. Respondet Titius, se  
con-

conveniri non posse, eo quod hæ merces apud se non remanserint, sed ad instantiam Corneli apud Cajum sequestratæ fuerint; idque probare nititur ex eadem epistola sua, quam Sempronius sine contradictione receperat. Sempronius videtur habere intentionem fundatam in Epistola Titii, quæ probat contra scribentem 75. ): quia autem mercium receptio & earundem sequestratio diversa facta continent, potuit Sempronius unum ex capitulis epistolæ acceptare, & alteri contradicere: præsertim cum factam sequestrationem Sempronius dissentiendo impedire non possit, tacite consentire non videtur. Vicissim pro Titio dicitur, potuisse quidem Sempronium illam epistolam pro parte acceptare, & pro parte contradicere: hoc autem debuisset facere, quamprimum epistolam accepit 76. ): postea ad id faciendum non est admittendus. Dein ista capitula non sunt omnino separata, sed quasi connexa, quia Titius non simpliciter confessus est in suis  
lite-

---

75. ) L. 26. §. 2. ff. Depositi.

76. ) L. 16. ff. de Scto Macedon.

literis, quod merces acceperit, sed addidit, se ita recepisse, ut tamen apud ipsum non manerent, cum ad instantiam Cornelii penes Cajum fuerint sequestratae: nec videtur prorsus invito Sempronio sequestratio facta, quia praestita satisfactione eam revocare potuisset: itaque si non fecit, quod potuit, videtur id sibi imputare debere. Omnibus consideratis censeo, Titium ad nihil teneri 77.)

*De charta sigillata & Blanca.*

§. 335. Ut Instrumenta vim probandi in iudicio obtineant, aut recipiantur, in multis Provinciis requiritur charta sigillata, *Stempel Papier*, cui sint inscripta. Defectus hic non censetur irritationem inducere, si lex istam non exprimat. Ubi autem nullitas statuta est, haec solummodo ad Instrumentum, non autem ad ipsum actum in charta expressum pertinere censetur: proin Contractus, qui alioquin ad essentiam suam non requirit scripturam, in char-

ta

---

77.) Rationes pro hoc casu, uti & alias quaestiones circa Epistolas videre licet apud cit. EVERHARDUM Cap. 10. n. 60. seqq. item apud NICOL. DE PASSENBUS, de Scriptura privata L. 3.

ta non sigillata scriptus, omnino subsistit, & executionem in iudicio obtinere debet, si modo aliis probationibus rei gestæ veritas ostendi possit. Quamvis igitur tale Instrumentum non habeat paratam executionem, obtinebit tamen efficaciam per legitimum Processum, & alias Probationes. Deinceps error in defectu Chartæ sigillatæ commissus non cedat in præjudicium partis, sed in præjudicium Principis; ideo Princeps facile potest, & etiam plerumque solet remittere hunc defectum, modo scriptura postea saltem involvatur in charta sigillata, aut tale folium adjungatur, quia hac ratione ærario, & consequenter fini ac intentioni legis satisficit. Si Clericus Laicum apud Magistratum secularem convenire velit, necessaria erit charta sigillata, & notata signo Principis secularis, si audiri velit, etiamsi in foro Clerici usus talis chartæ non sit: idem observari debet a peregrino, in cujus patria ignoratur iste modus ditandi ærarium. Præterea sciendum, quod Folium album, seu Charta Bianca, nomine & sigillo alicujus munita, & ad alium missa, ut aliquid inscriberetur, non

non

non præjudicet illi, cujus nomen est subscriptum, si ignoret, quid ibi scriptum fuerit. Ad evitandum ejusmodi chartarum abusum, solet in infimo folii margine notari, ad quem usum talis charta missa sit E. G. *Procura in Causa Decimarum.* 78. ).

*Quid requiratur ad Instrumentum publicum a Notario confectum?* §. 336. Venimus ad Instrumentum Publicum a publica persona ratione publici Officii confectum cum debitis solemnitatibus. Ad hoc requiritur I. ut ille vere sit Notarius legitime creatus, a Notario qui Instrumentum conscripsisse perhibetur. II. Ut Notarius de Instrumento conficiendo sit rogatus. III. Ut illud faciat in loco, ubi potestatem habet, & super causa, in qua habet potestatem. IV. Requiritur Divini Nominis invocatio, quæ per consuetudinem videtur esse effecta de substantia Instrumenti. V. Apponatur numerus annorum a Dominica Incarnatione, vel Nativitate cum tempore contractus celebrati, vel negotii gesti. In multis Italia

---

78. ) De his chartis Blancis agit THEODOR. HÖPINGK tract. de Jure Sigill. 2. §. 2. 2. 2. 68.

l'æ partibus numerantur anni ab Incarnatione Domini incipientes a 25. Martiis alibi a Nativitate Domini, vel potius ab Octava Nativitatis, quæ est Calendis Januarii, quod in Germania receptum est. VI. In terris Ecclesiæ apponatur nomen Pontificis & annus Pontificatus ejusdem: in terris Imperii nomen Imperatoris, annusque Imperii sui: in terris aliorum Regum vel Dominorum Superiorem non recognoscentium, nomen ipsius Regis, anni-que Regiminis. Si sit Notarius autoritate Pontificis & Imperatoris creatus, sæpe solet apponi nomen utriusque; vel solum nomen Pontificis in causis Ecclesiasticis 79.), & solum nomen Imperatoris in causis profanis: servanda est consuetudo loci. Olim apud Romanos apponebantur nomina Consulium.

C c                      sulum.

---

79.) Invenio Instrumentum inCausaEcclesiastica cum hac subscriptione: *Datum VII. die Decembris nostro sub Signeto presentibus appresso anno Domini M.CCCC. XL. Sacro durante Concilio Basiliensi. Quo scilicet tempore in multis Germaniæ Provinciis disceptabatur de autoritate Eugenii IV. & Felicis recens in Concilio electi.*

*De Judiciis.*

fulum. VII. Apponatur Indictio currens tempore confecti Instrumenti, vel negotii gesti. VIII. Mensis & Dies actus celebrati. Prioribus seculis in Germania passim usitatum erat, ut apponeretur dies aliquis notabilis E. G. *pridie S. Georgii: Feria VI. post Invocavit.* Si mentio fit Festorum mobilium, aut Feriæ alicujus post Festum, ad eruendum diem determinatum mensis, considerari debet ratio Calendarii eodem anno usitati 80.). IX. Sequitur facti narratio, ubi Notarius X. Apponit locum negotii gesti, non tantum generalem, sed etiam specialem designando Civitatem, plateam, domum, cubiculum. Talis designatio specialissima solet a Notariis fieri: non tamen fit in Scripturis privatis, nec in Literis Apostolicis. XI. Notarius inscribit nomina Testium, in quorum presentia res gesta, & ipse de Instrumento conficiendo rogatus fuit: non autem regulariter opus est, ut Testes sua nomina

---

80.) Si tale Calendarium ad manum non sit, facile colligi poterit ex dictis in Libro de Jure Rer. Eccles. Sect. II. Tit. XIX. de Calendario Eccles.

*De Fide Instrumentorum.* 403

mina scribant manu propria. XII. Notarius subscribit sua manu, exprimendo Prænomen & Cognomen, adjiciendo, qua autoritate sit Notarius, & attestando de suo actu confectionis Instrumenti, scilicet quod ipse scripserit, composuerit, vel compositum subscripserit. XIII. Apponit suum Signum.

§. 337. Præter Instrumenta a Notario confecta, Scripturæ censentur *Cui equi-* fieri publicæ ex autoritate Judicis, & *paratur* Instrumentorum Judicialium, in quibus *Instru-* tantum *mentum* les scripturæ productæ, & publica *authen-* autoritate conscriptæ sunt 81.): *aticum.* aliquando ex Testium trium subscriptione 82.): aliquando ex loco publico, in quo scriptura reperitur, ut si in archivo inventa sit 83.): nonnunquam scriptura efficitur publica propter consuetudinem, quæ certo generi scripturæ publicam fidem tribuit 84.): vel propter autoritatem officii publici, cum officialis aliquis scribit ea, quæ pertinent ad officium suum. Hæ & similes Scripturæ vocari solent Authenticæ, habentque eandem vim

C c 2

pro-

- 
- 81.) L. 6. C. de Re judic. L. 2. C. de edend.  
82.) L. 11. C. qui potiores in Pignore &c.  
83.) C. 13. de Præscript.  
84.) C. 9. de fide Instrum.



probandi cum Instrumentis a publico Notario confectis, & æquiparantur tot numero testibus, quot alioquin ad probationem ejus negotii vel actus testes requisiti fuissent, si Instrumentum de actu non fuisset confectum. Quamvis res gesta vel acta per Instrumentum probata, aliis extraneis non præjudicet, sed illis tantum inter quos gesta est: nihilominus Instrumentum legitime confectum etiam inter extraneos plene probat, rem taliter esse gestam, intelligendo id de iis, de quibus Instrumentum principaliter confectum est, non autem de iis, ad quæ in Instrumento fit relatio, vel quæ alio tempore facta narrantur.

*Præfer-  
tim Ori-  
ginale:*

§. 338. Tanta autoritas tribuitur præcipue Instrumentis *Originalibus*, quæ etiam *Exemplaria* vocari solent; non autem *Transumptis* seu *Copiis*, quæ referunt solum tenorem alterius scripturæ, vel integræ, vel alicujus partis extractæ &c. Si id fiat ab homine privato, tale exemplum, quod nuda copia vocari solet, nullam omnino fidem facit, etiamsi sit antiquissima, vel etiam reperta in Archivo publico: nam talis scriptura ibidem reposita censetur,  
non

non ut authentica, sed tantum ut mere privata, qualis in sui forma apparebat: potest tamen nonnunquam Judex ex tali scriptura conjecturam sumere, non tamen plenam probationem, nisi forte propter antiquitatem ipsius facti: nam in antiquis, cum solidæ & regulares probationes difficulter haberi queant, leviores probationes sufficiunt, qualem præstat ejusmodi scriptura, modo sufficientes pareant notæ, quod ea ex originali traducta fuerit. Si autem Transumptio fiat a publico Notario (non tamen illo, qui ipsi negotio interfuit) coram testibus, per hoc exemplum id tantum probabitur, quod extet aliqua Scriptura ejus tenoris: sed ipsum factum relatum ex ejusmodi exemplo non plene probatur. Nam Notarius potest testari, quod Copia sit ad normam Instrumenti sibi exhibiti; an autem hoc ipsum Instrumentum sit authenticum, non potest testari Notarius, cum hoc non pertineat ad ejus officium, sed ad officium Judicis Ordinarii 85. ).

Cc 3

§. 339.

---

85.) Cap. fin. ibid.

Quod ta-  
men e-  
tiam non  
semper fi-  
dem me-  
retur.

§. 339. Instrumentorum etiam Ori-  
ginalium fidei derogatur I. si is, qui il-  
lud confecit, non sit Notarius publi-  
cus, vel hoc officio ob crimen privatus,  
Unde si ex nostris partibus Romam mit-  
titur Instrumentum a publico Notario  
confectum, pro majori firmitate ad-  
jungitur attestatum Vicarii Generalis,  
quod is, qui istud Instrumentum scrip-  
sit vel subscripsit, habeat istud munus,  
& in Tribunalibus fidem obtineat. II.  
Si careat solennitatibus requisitis. III.  
Si suspectum sit de falso ex rasura, li-  
tura 86. ): aut falsitas aliqua probetur.  
An & per quot testes reprobetur In-  
strumentum, controvertunt Doctores,  
praesertim ex verbis JUSTINIANI 87. ):  
*Nos quidem existimavimus, ea quae viva di-  
cuntur voce, & cum jurejurando: hac dignio-  
ra fide, quam scripturam ipsam secundum  
se subsistere.* Distinguendum est, an in  
dubium vocetur ipsa scriptura, an vero  
res gesta in Instrumento narrata? De  
priori

- 
86. ) Indicia falsitatis, quae suspectum red-  
dunt Instrumentum, plena manu refert  
EVERHARDUS tract. de Fide Instrum.  
c. 5. n. 54. seqq.  
87. ) Novella 73. c. 3.

priori dubio videtur loqui Justinianus in casu, quo ex comparatione Literarum aliqui judicabant, Instrumentum ab isto Notario non esse confectum: subscripti autem testes juramento confirmarunt, vere esse scriptum a Notario. His testibus haud dubie magis creditur, quam indiciis, quæ ex dissimilitudine literarum contra Scripturam oriuntur. Si autem in dubium vocetur veritas eorum, quæ in Instrumento continentur, locum habet regula illa: *in exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium.* 88.). Cum autem pro Instrumento stet vehemens Juris præsumptio, non facile contra illud prævalent duo testes, non Instrumentarii, nisi sint maximæ autoritatis, & afferant simul valde verosimilem rationem dicti sui: nollem igitur universim concludere, quod duo testes omni exceptione majores probent sufficienter falsitatem Instrumenti, prout tamen communius concludunt Autores 89.). Pro ejusmodi casibus locum habet

C c 4 mo-

---

88.) L. 15. C. de fid. Instrum.

89.) ZASIVS lib. 2. Respons. 23. aliquo passim.

monitum JUSTINIANI in allegata Novella: *sit hoc judicantis prudentia simul atque religionis, ut veracibus potius pro talibus credat.* Si autem sententia ex falso instrumento lata deprehendatur, conceditur Restitutio in integrum.

*An probent Libri Officialium publicorum?*

§. 340. Quamvis ex dictis Libri Officialium publicorum magnam auctoritatem mereantur, nihilominus si ibi dominis adscribatur jus exigendi a subditis multas operas, census &c. ejusmodi libri non plene probant, nisi adjuventur longæva observantia, consuetudine vicinorum locorum, conventionem inter dominos & subditos, aut alia simili ratione 90. ; ita quidem, ut etiam Fiscus Principis ex folis ejusmodi libris intentionem suam contra subditos probare non possit. *Exemplo perniciosum est, ut ei scriptura credatur, qua unusquisque sibi adnotatione propria debitorem constituit, Unde neque Fiscum, neque alium quemlibet ex suis sub-*  
nota-

---

90.) *Instrumenta domestica, seu privata testatio, seu adnotatio, si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem facta non sufficiunt. L. 5. C. de Probat.*

notationibus debiti probationem præbere posse oportet 91.). Si autem in ejusmodi libris scriptum sit, hac ratione esse conventum, vel transactum cum subditis, huic ipsi annotationi non creditur, nisi aliunde constet, subditos, vel Mandatarium nomine ipsorum consensum suum præstitisse. Quod si ejusmodi libri ita constituti sint, ut plenam probationem faciant inter & contra subditos, dubitari potest, an allegari etiam possint contra extraneos non subditos? Exemplum ponit CRAVETTA 92.) his verbis: Exactor Collectæ scribit in libro suo, Collectam fuisse solutam per forenses possidentem bona in loco: modo universitas fundat jus suum contra forenses ex solutionibus præteritis, allegando præscriptionem aut consuetudinem. CRAVETTA putat, quod talis liber plene non probet contra non subditum. Econtra NICOLAUS EVERHARDUS 93.) eandem

C c 5 dem

---

91.) L. 7. Ibid.

92.) De antiq. tempor. p. 1. §. quarto limitatur. n. 76. m. fol. 176.

93.) Tract. de fid. Instrum. Cap. 7. n. 64. fol. 158. seq.

dem illi vim tribuit contra forensem, quam habet contra subditos, nisi alia repugnent. Sicut enim receptum est, quod etiam si Instrumentum careat solennitatibus substantialibus juris communis, sufficiat tamen, quod sit confectum cum solennitatibus requisitis secundum statuta vel consuetudines loci, ubi confectum est Instrumentum, ita ut postea probet ubique terrarum: sic dicendum est etiam de libro Officialis publici &c. &c. Et quidem in casu Cravettæ eo certius, quia forensis ille, de quo quærebatur, est aliquo modo subditus illius loci, ubi bona possidet 94.).

*Diplomat- §. 341. Singularem mentionem & tum anti-reverentiam merentur antiqua Diplo- quorum mata, seu Literæ Regum aut Pontificum veterum. Quantum in Jure usum ars Diplomatica habeat, abunde patet ex*

---

94.) De Libris Officialium plura tradit CAROL. MOLIN. ad Consuetud. Paris. Tit. I. §. 8. Gloss. 1. DANIEL. MOLLERUS Semestr. lib. 4. c. 37. n. 1. RUTGER. RULANT de Commissar. p. 2. lib. 5. c. 13. CARPZOV. lib. 1. tit. 7. Responf. 61. n. 6. BERLICH. Decif. 282. n. 6. FRANCA BALTHASAR de Oper. Subdit. C. 17.

*De Fide Instrumentorum.* 411

ex Literis INNOCENTII III. 95. ). Inter Viros eruditos pridem decisum fuit, Scriptores medii ævi cum in notionibus Chronologicis, tum in ipsis narrationibus historicis exigi, corrigique posse & debere ad fidem Diplomatum ac Chartarum antiquarum; standumque potius esse pro Re Diplomatica, quam pro Scriptoribus etiam coævis 96. ). Antiquas chartarum formulas collegit MARCULFUS Monachus, & alii quidam Anonymi Regales, quæ ad Reges; & Pagenses, quæ ad privatos pertinent. His addendæ Ecclesiasticæ 97. ), aliæ Pontificiæ, quæ a Bullis appositis vocantur Bullæ, aliæ Episcopales.

§. 342. Chartæ Regales seu Diplo- *Varia*  
mata dividi possunt in Præcepta, Indi- *species.*  
culos, Placita, Tractorias, Descriptio-  
nes, & Panchartas. Præcepta in futu-  
rum, Indiculi in præsens dabantur: Pla-  
cita, quibus Causarum controversarum  
judi-

---

95.) C. 6. de fid. Instrum.

96.) P. MARQUARD. HERRGOTT. Ge-  
neal. Diplom. Gentis Habsburg. tom. I.  
Proleg. I. n. 4.

97.) Quales exhibet Diurnus Romanus  
JOANNE GARNERIO S. J. editus.



judicium in frequenti Optimatum Placito seu Conventu definitum continebatur. *Tractoria* seu *Tractatoria* sunt Diplomata, quæ dantur Missis vel evocatis a Principe, ut publicis vehiculis, mansionibus, & viaticis uti possent 98. ). *Descriptiones* erant recensiones prædiorum, suppellectilis Ecclesiæ &c. *Regio* nomine factæ. *Pancharta*, quibus Reges bona Ecclesiæ seu Monasterii omnia confirmabant, maxime post amissa Instrumenta. Eodem nomine appellantur *Regesta chartarum*, alioquin *Chartaria*, *Chartularia* seu *Diplomataria*. Religiosi *Bullas Pontificias*, quibus omnia antiqua sua Privilegia confirmantur, vocare solent *Mare Magnum*.

*Multa sunt corrupta.*

§. 343. Sicut certum est, usum Diplomatum esse antiquissimum, ita negari non potest, artem adulterandi Diplomata, coævam esse veris Diplomatum. Sicut Numorum, ita & Diplomatum adulteratores semper extiterunt. Multa fuerunt conficta & pro veris ac originalibus jaçtitata: verorum

---

98. ) Vid. formula MARCULFI lib. I. c. 2. cum Notis BIGNONII. HERMANNUS HUGO de prima scrib. orig. Cap. 14.

*De Fide Instrumentorum.* 413

rum autem originalium exempla sæpe fuerunt corrupta. Quoad falsa & conficta tres causæ hujus corruptionis adducuntur: prima est ob caducitatem veterum autographorum, quæ cum lacera essent, aut scripturæ fugientis; ad eorum imitationem alia efficta sunt. Secunda causa refertur ad supplendam veterum jacturam ex bellis, incendiis &c. Tertia causa refunditur in malitiam quorundam, qui injustitiis suis inde robur accersebant. Quoad exempla ex originalibus transumpta, eorum interpolatio itidem ex triplici capite processisse videtur. I. Ex imprudentia & levitate Librariorum, qui nonnulla Exemplaris vocabula aut omiserunt, aut perperam immutarunt. II. Ex temeritate sciolorum exscriptorum, qui Exemplaris verba quædam non capientes, aut alia pro illis substituerunt, aut glossemata falsa adjecerunt. III. Ex studio juvandi posteros, adhibitis annis Incarnationis, Indictione, aut etiam concurrente Epocha 99.).

§. 344.

---

99.) Sic modeste de falsificatoribus Diplomatum loquitur MABILLONIUS de Re Diplom. Lib. I, c. 7

*Ars Critica jam olim cognita, non tamen satis exacta.*

S. 344. Quam certum est, multa antiqua Diplomata esse falsa, aut saltem corrupta; tam ignota erat Majoribus nostris ars dignoscendi Diplomata vera a falsis. Ignorantiam hanc foverunt Custodes Arhivorum, qui antiquas Scripturas, tanquam Sybillæ folia, reconditas absconderunt, donec necessitas unum vel alterum in lucem producere cogeret. Impossibile autem erat, regulas aliquas tradere, nisi ad manum esset magna Diplomatum copia, ex quorum comparatione erui conjecturæ possint. Tentavit id DANIEL PAPERBROCHUS, vir eruditissimus, sed tamen, ut ipse fatetur, Diplomatum copia destitutus: gloriatur autem merito, occasionem se dedisse JOANNI MABILLONIO rem istam accurate tractandi, ex cujus præstantissimo opere de Re Diplomatica plures alii animati sunt, ad hoc studium prosequendum & perficiendum. Non tamen credendum, studium hoc criticum omnino recens, & ultimorum seculorum inventum esse. ALEXANDER III. Pontifex 100. ) rejiciendum

---

100. ) Cujus Rescriptum allegatur ab INNOCENTIO III. lib. XI. Epist. 126. ex Edit. Baluzii.

*De Fide Instrumentorum.* 415

endum putat Privilegium Zachariæ propter stylum dictaminis, & corruptionem grammaticæ artis: Privilegium autem Leonis propter ejusdem artis vitium, quod de tam literato viro absurdum est extimare, quod tam idiotas scriptores habuerit; & propter bullam, quæ a Bullis ejusdem Leonis, coram Pontifice productis omnino comparebat dissimilis &c. INNOCENTIUS III, 1.) recenset varios modos, ex quibus falsitas Literarum Pontificiarum deprehendi possit: præbetque exemplum subtilis criseos de nonnullis Privilegiis 2.). Monet tamen idem INNOCENTIUS 3.), ne crisi nimis severa ob quamcunque paucarum literarum rasuram Rescripta falsitatis arguantur; vel ob defectum puncti 4.); vel propter Sigillum ex transverso positum 5.). Sic etiam HONORIUS Pontifex non permittit, ut Rescriptum Apostolicum habeatur pro vitioso, ex eo quod in dictio-

- 
- 1.) C. 5. de Crim. falsi.
  - 2.) C. 6. de fid. Instrum.
  - 3.) C. 9. de Crim. falsi.
  - 4.) INNOCENTIUS III. Lib. 13. Epist. 54.
  - 5.) ibid. Lib. 14. Epist. 87.

dictione, *spoliarunt*, hæc figura O de-  
fuerit 6. ).

*Confide-  
randa est  
Diploma-  
tis Charta.*      S. 345. Ad discernenda Diplomata  
vera a falsis, observari solet Exterior &  
Interior eorum species. Exterior est  
circa Chartam, materiam, literarum  
ductus, scripturæ rationem, figuras  
monogrammatum, formam sigillorum,  
eorumque imagines & inscriptiones.  
*Materia* in qua scripta sunt Diplomata,  
plerumque fuit Membrana, quam Per-  
gamenam vulgo vocamus, cum aliqui  
credant, ejus originem deberi Pergami  
Regibus, quod tamen valde incertum  
est: vel etiam Charta Ægyptiaca, quæ  
ex herba Nilotica conficiebatur. Vul-  
gari charta nostra, quæ ex reliquiis  
linteorum contritis conficitur, vix un-  
quam Imperatores aut Reges ad Diplo-  
mata scribenda usi sunt, nec hodie in  
rebus majoris momenti uti solent,  
quamvis ea jam seculo XII. nota fue-  
rit. Materia ex qua Diplomata scri-  
pta sunt, erat Rubrica, seu Minium,  
quo pingebantur nomina & Mono-  
grammata Imperatorum Græcorum,  
& subscriptiones nominaque Cancel-  
lario-

---

6.) C. II. de Ad. Instrum.

*De Fide Instrumentorum.* 417

lariorum. Aureus & argenteus liquor invenitur in paucis: atramento semper usi sunt Germani.

§. 346. Lingua latina erat commu- *Idioma:*  
nissima in Diplomatum: nonnunquam adhibita Theotisca, & nostra Germanica, adhibitis tamen Literis Latinis. Harum forma pro diversis seculis varia est, elegantior autem ævo CAROLI M. Orthographiæ puritas in antiquis Diplomatum non est quaerenda, uti neque interpunctiones: has restituit CAROLUS M. opera ALCUINI & PAULI WARNEFRIDI; non tamen adhibebantur in Diplomatum ejus temporis; apparent autem in Diplomatum Conradinis. Litera *i* in antiquis Diplomatum nunquam superne notatur puncto ante sæculum XV. Litera *y* modo sine puncto, modo cum singulis punctis in utroque apice adscriptis notata occurrit. Litera *h* vocibus præfigitur & immiscetur, quæ illam plane respuunt: sæpe omittitur, ubi poni oportebat, *heremita* pro eremita, *ortus* pro hortus. Adhuc hodie Itali & Galli passim pronuntiant vel omittunt aspirantem literam contra veram or-

D d                      tho-

*De Judiciis.*

thographiam. Sicut in antiquis Codicibus, ita etiam in Diplommatibus occurrunt compendiarie scribendi notæ, quas vulgo abbreviaturas vocant 7.)

*Mono-*  
*gramma* : §. 347. Monogramma est character singulas nominis literas, vario ordine dispositas exprimens. Servit loco subscriptionis, quo Reges vel Imperatores muniebant Diplomata sua 8.). Usus eorum exolevit sub Maximiliano I. Imperatore, qui subscripsit *manu propria*. Pontifices Romani finiebant Bullas suas verbis *Bene valete*. Hæc ipsa verba

---

7.) Compendia scribendi medii ævi exhibet BARINGIUS in Clavi Diplomatica: uberius autem WALTHERUS in Lexico Diplomatico. Antiquorum Notas, præter JANUM GRUTERUM varii collegerunt, quibus novissime accessit Chronicon Gotwicense Prodrom. tom. I. lib. I. c. I. n. 7. copiose SERTORIUS URSATUS apud Grævium tom. II.

8.) Plurimæ Monogrammatum formæ exhibentur a PAPEBROCHIO, CAROLO DU CANGE. Glossar. V. Monogramma, SEBAST. MÜNSTERO, OCTAVIANO STRADA, MABILLONIO, Reverendiss. BESSEL Prodromo Chronici Gottwicensis, LEONARDO BAUDIS, & omnibus, qui de Diplommatibus scribunt.

*De Fide Instrumentorum.* 419

verba LEO IX. & VICTOR II. redegit  
in Monogramma 9. ).

§. 348. Sigillum est signum Diplo-  
matibus majoris fidei causa vel impres-  
sum, vel adpensum. Materia sigillo-  
rum est aurea, argentea, plumbea, po-  
tissimum autem cerea. Hæc Sigilla  
continent effigiem Imperatoris vel Re-  
gis, adscripto ejus nomine. In Bullis  
Pontificiis, jam a multis seculis adpen-  
sæ reperiuntur Bullæ plumbeæ, quæ  
ex una parte exhibent Capita SS. Petri  
& Pauli, ex altera nomen Pontificis :  
in Brevibus autem apponitur Sigillum  
cereum, impresso Annulo Piscatoris,  
quo Pontifices olim utebantur solum-  
modo in Literis privatis: aliæ enim  
omnes Literæ Pontificiæ habebant ad-  
pensum plumbum usque ad seculum  
XV. non tamen ad hodiernam formam  
signatum 10. ). Quamvis ex forma Si-  
gilli sæpe deprehendatur falsitas Di-  
D d 2 plo-

*Sigillum*

- 
9. ). Forma hæc videri potest apud MABIL-  
LONIUM lib. 5. in tabell. 50. item lib.  
6. fol. 64r.  
10. ) Vid. VINCENTIUS PETRA ad Con-  
stit. Apostol. Præm. §. 3. n. 33. seqq.



plomatis 11. ), nihilominus sciendum, nonnunquam Pontificis Bullas nonnihil mutatas, viventibus ipsis; unde non statim potest erui falsitas, si Bulla aliqua non omnino similis sit aliis ejusdem Pontificis Bullis 12. ). Non tantum Diplomatum antiquis, sed etiam aliis Instrumentis cum publicis, tum privatis plurimum autoritatis & fidei tribuunt Sigilla. Tria tamen debent constare I. Ut exprimatur, & ex characteribus aut figuris in sculptis agnoscat, cujus sit Sigillum. II. A quo sit appositum. III. Propter quid sit appositum. Inprimitur enim aliquando in signum consensus: in signum testimonii: in signum præstitæ autoritatis. Sigillum authenticum probat contra sigillantem, nihil autem pro sigillante: probat tamen in pertinentibus ad officium sigillantis. Sicut autem  
Prin-

---

11. ) Vid. C. 6. de fid. Instrum.

12. ) INNOCENTIUS IV. Literis Encyclicis monet Episcopos & Abbates, fracto suo typario substitutum novum priori non omnino simile. MABILLON lib. 2. c. 14. n. 14. item in Supplem. c. 11. fol. 46. ejusque append. fol. 101.

*De Fide Instrumentorum.* 421

Princeps vel Rex judicare potest in propria causa; ita etiam pro sua causa potest sigillum apponere. Sigillum privatum generatim operatur id, quod scriptura vel subscriptio hominis privati: regulariter autem præsumitur sigillum appositum de voluntate ejus, cujus est 13.).

§. 349. Hucusque de exteriori Di- *Tituli &*  
plomatum specie. Interna consistit in *subscri-*  
formulis, quæ Diplomatum præmitti *ptiones:*  
solent, & preces, nomina, titulos Im-  
peratorum vel Regum continent, in  
subscriptionibus Principum vel Can-  
cellariorum, aut qui ipsorum vice re-  
legerunt; adnotationibus loci & tem-  
poris, Indictionibus aliisque notis  
Chronologicis. Imperatores Carolin-  
gici & Germani præmittebant invoca-  
tionem Divini Nominis, vel SS. Tri-  
nitatis. Pontificia Rescripta a tempo-  
re Gregorii VII. utuntur duplici inscri-  
ptionis

D d 3

---

13.) Tragicum exemplum Sigilli alieni  
furtive adhibiti refert JOANN. STUMPF  
Chronic. Helvet. lib. 7. c. 27. fol. 228.  
Integrum tractatum de prisco & novo  
jure Sigillorum edidit THEODORUS HÖ-  
PINGK.

ptionis formula, aliqua *in perpetuum*, seu *ad perpetuam rei memoriam* in Bullis majoris momenti, & quæ in longum tempus valituræ erant: alia *Salutem & Apostolicam Benedictionem*, in Rescriptis, quæ in præsens essent exequenda: non tamen idem semper observabatur usus. Sequitur nomen Imperatoris absque *Nota Nos*. Imperatores Germani a tempore OTTONIS I. sub quo Imperium Romanum cum Regno Germaniæ conjunctum fuit, scribebant se Reges, donec Romæ coronarentur a Pontifice; tunc enim dicebant se Imperatores 14.). Sed Regis Rom-

---

14.) MABILLON de Re Diplom. lib. II. c. 26. n. 12. vult ostendere, quod Carolus M. ante acceptam Imperii dignitatem aliquando vocatus sit Imperator, ex charta cujusdam Leotaldi apud Perardum, data die Lunis proximo post Kal. Novembris, anno decimo Regni Domini nostri Caroli Imperatoris. Supponit Mabillon, quod dies Lunæ proxima post Kal. Novembris significet diem secundam Novembris, in quam tunc incidebat dies Lunæ. Sed anno 810. qui est decimus Imperii Caroli, Litera Dominicalis erat F. & sequens dies Lunæ erat quarta Novembris: proin non convenit hæc nota

*De Fide Instrumentorum.* 423

Romanorum titulus ante Henrici II. tempora insolitus erat. Pontifices Romani a tempore GREGORII M. nomini suo addunt *Servus Servorum Dei*; in Brevis adhibetur nomen *Papa*. Ipsi appellabant Reges Francorum Excellentissimos, Præcellentissimos, & demum Christianissimos: omnes vero vocant *Filios*, præter Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, quos nominant Fratres 15.). Pro subscriptione adde-

D d 4                      bant

---

Chronologica anno decimo Imperii, sed potius anno decimo Regni, scilicet anno 777. quo Litera Dominicalis erat E, & dies Lunæ incidebat in secundam Novembris. Verum dicendum videtur, quod dies Lunæ proxima post Kal. Novembris non indicet diem secundam Novembris, sed solummodo diem Lunæ, quæ prima occurrebat mense Novembri, quocumque tandem die Mensis: revera anno 810. prima dies Lunæ in mense Novembri incidebat in diem quartam Novembris: frustra igitur dicta nota refertur ad annum 777. cum ibi nondum competeret Nomen Imperatoris Carolo: sed aptissime competit anno 810. qui est decimus Imperii Caroli.

\*) De Titulis, quos Reges aut Principes tribuunt sibi, & aliis, ad quos scribunt, multa tradit LUNIG Theatr. Ce-

bant Imperatores & Reges plerumque nomen suum cum signo: signum autem consistebat fere in forma Crucis: hanc formabat ipse Rex, reliqua adscribebat Notarius. Sequebatur subscriptio Archi-Cancellarii, seu Archi-Capellani 16. ). In Bullis Pontificiis olim adscribebantur nomina cum Notarii seu Scriniarii, tum Cancellarii, quo officio passim præditus erat Bibliothecarius S. R. Ecclesiæ. In Brevibus Rescriptis neque Notarii neque Cancellarii Nomen apparet: hodie in his subscribit Secretarius Brevium: in Bullis nomen addit Datarius. Testes in  
Di-

---

remon. part. 3. De stylo Pontificum  
vid. C. 6. de Crimin. falsi.

16. ) Seriem Archi-Cancellariorum Franciæ recenset MABILLONIUS lib. 2. c. 12. Germanorum autem BERNARDUS a MALLINKROT de Archicancellariis S. Romani Imperii. Utriusque Regni Cancellarios & Vice-Cancellarios a tempore Caroli M. enumerat PFEFFINGERUS ad Vitriarium tom. 1. fol. 1077. seqq. & CHRISTIAN. HENRIC. ECKHARDUS Introd. in rem Diplom. Sect. 3. c. 5. §. 71. seqq.

Diplomatibus ante sæculum XI. non fuerunt adhibiti aut nominati.

§. 350. Summopere in Diplomatibus observanda est Chronologiae ratio, per temporum Notas, Indictionesque explicata. Consistit hæc in primis in appositione anni & diei: annum inchoabant vel a XXV. Martii, scilicet ab Incarnatione Domini, vel ab ejus Nativitate XXV. Decembris, aut prima Januarii. Annorum ab Incarnatione Dominica numerandorum modus jam sæculo VIII. etiam in Germania usitatus fuit. Sic Concilium Dingolvincicum habitum est anno ab Incarnatione Dominica 772. *Jndict̄ X. II. Id. Octob.* Idem in Bullis Pontificiis saltem sæculo XI. in usu fuit. Non tamen constans reperitur observantia circa initium anni: & in hac ipsa computandi ratione, qua anni numerantur a Festo Annuntiationis, reperitur aliqua diversitas; nam nonnunquam anni initium sequitur annum Dionysianum per tres menses, ita ut XXV. Martii inchoetur idem annus, qui juxta computum vulgarem inchoatus fuerat Calendis Januarii: nonnunquam autem, scilicet calculo Pisano, annus

D d 5

annus novem mensibus præcedit calculum Dionysianum, ita ut annus ille jam finiatur XXIV. Martii, qui juxta communem nostrum calculum finitur apud nos mense Decembri. Antiqua Diplomata Pontificia vario utuntur calculo 17. ). Indictio apponebatur, quæ vocatur *Cæsarea*, incipiens Octavo Calendas Octobris 18. ). Addebantur nonnunquam *Concurrentes*, quæ sunt Epactæ Solis, seu supercrefcentia unius vel plurium dierum supra quinquaginta duas Septimanas. 19. ). Addebatur vox *Datum* vel *Actum*, ad indicandum diem, quo Literæ expeditæ, vel negotium gestum, aut gratia

---

17. ) Vid. PAPEBROCHIUS Conat. Chron. Histor. part. I. fol. 214.

18. ) Vid. de Jure rer. Eccles. Sect. 2. §. 422. Indictio Constantinopolitana seu Græca, initium sumens a Calendis Septembris, non erat in usu in nostris Provinciis: sermo tamen de ea est in L. ult. C. de annon. & tribut. L. I. C. de militari veste. Novell. 128.

19. ) De hoc Cyclo Concurrentium, cujus in novo Calendario usus non est, videri potest DIONYS. PETAVIUS de Doctrina temporum tom. I. lib. 6. c. 28.

*De Fide Instrumentorum.* 427

tia concessa est. In his signandis Diplomatum calculis Notæ numerales adhibitæ, non sunt illi numeri Arabici, quos vulgo *Cifras* nominamus; sed dies more Romanorum per Calendas, Idus & Nonas exprimuntur, vel per festum, aut initium Missæ denotantur, ut: *Feria III. post Oculi.* Addi etiam solet annus Regni, Imperii aut Pontificatus. Imperatores Germani simul computabant annos cum Regni, tum Imperii: hi cum nonnunquam in anno quidem, non tamen in certo anni tempore fuerint æquales, nulla ratio mensium quorundam habita fuit: ex quo non levis confusio in chronologiam sæpe irrepsit.

§. 351. Demum in Diplomatum *Locus.* Imperatorum & Regum adscriptus reperitur locus, ubi res gesta, vel Diploma datum est. Francorum Reges in variis Regni sui Vicis sive Villis splendida Palatia erigebant, administrandæ Reipublicæ causa. Vocabantur Villæ publicæ, vel Palatia publica, ubi Reges celebriora festa solenniter celebrare, vel etiam hyemare solebant. Curtes Regiæ & Fisci Dominici erant loca, ex quibus Reditus ad Regiam Familiam alendam



caplebantur. A Regibus Francorum institutum hoc ad Germaniæ Reges & Imperatores transiit, qui usque ad Ludovici Bavari tempora continuis itineribus Provincias peragrabant. Postquam autem dissipatis Imperii bonis Provinciæ, Terræ & Urbes immediatæ in Principum potestatem venissent, Ludovicus Bavarus in terris suis hæreditariis certam, fixamque sibi sedem constituebat, cujus exemplum Successores quoque secuti sunt 20. ).

*Quid pro-  
bent Di-  
plomata-  
ria*

§. 352. Cum originalia Diplomata antiqua usque ad nostram ætatem plerumque conservari non potuerint, provocatur passim ad *Diplomataria*, quo nomine vocantur illi Codices in quibus omnia, aut præcipua Diplomata cuidam statui, Civitati aut Monasterio concessa, uno contextu descripta sunt. Publica autoritas illis accedit, quæ ex ipsis Diplomatum & Chartarum autographis originalibus descripta, a Notariis vel aliis personis publicis recognita, & subsignata fuerunt.

---

20. ) Veterum Regum & Imperatorum, præcipue Francorum, Villas & Palatia recenset MABILLONIUS de Re Diplom.

runt. Alia puram Instrumentorum collectionem continent, nullum autem publicæ autoritatis, aut factæ recognitionis testimonium præferunt. Quam autoritatem addat confirmatio Imperatoris, Pontificis, vel alterius Principis, aliunde deducitur ex doctrina de Confirmatione utili vel inutili. Si quis ex Diplomataris intentionem suam probare velit, multas Exceptiones contra hanc probationem patietur: inprimis quod Exemplis credendum non sit, si authentica scriptura desit 21. ): In ejusmodi Diplomataris autem mera exempla Diplomatum reperiuntur; imo nescitur, an ex Originalibus, an autem ex Copiis descripta sint, quæ ipsæ Copiæ non merebantur fidem. Dein non solum singula Exempla seorsim scripta, sed etiam integri Codices Diplomatici plurimis erroribus & vitiis scate-  
re solent quoad chronologiam, nomi-  
na

---

lib. 4. Chronici Gottwicensis Prodr-  
mus lib. 3. & 4. enumerat Germanorum  
Palatia, Villas Curtes, & Pagos.

21. ) L. 2. ff. de fid. Instrum. C. 1. 2. & fin.  
x eod.

na locorum & personarum; proinetiam quoad reliquum contextum plenam fidem non faciunt. Vana autem est jaectantia Criticorum, qui credunt, Regulas de discernendis Diplomatibus veris a falsis adeo certas & claras esse, ut eorum veritas vel falsitas etiam in descriptis Copiis, seu Apographis dignosci possit. Etiam Judices plerumque harum subtilitatum periti non sunt: non possunt proinsententiam in ejusmodi Chartis firmare. Insuper Sigilla sunt Instrumentorum robora & firmamenta certissima, ex quibus imposturas commissas facile detegere licet: hæc autem sigilla defunt in Diplomatariis: ex quibus etiam non deprehenditur, an non autographum fuerit annullatum, perforata membrana; an in eo non appaeruerint rasuræ, deletiones, additiones recentiori manu factæ. Certum enim est, plurima Diplomata olim, præcipue sæculo XI. conficta fuisse, forte etiam bono fine: hæc non possunt dignosci a veris, si sola diplomataria inspiciantur.

*In Judici-  
cio?*

§. 353. Ex his infertur, Diplomataria invenire quidem aliquam fidem apud Historicos, quando major certitudo  
de

*De Fide Instrumentorum.* 431

de quodam facto inveniri non potest: sed in judicio, præsertim in causis arduis probationes omni exceptione majores inde rarissime posse deduci. Habent tamen aliquam præsumptionem pro se, si jam dudum fuerint confecta, antequam cogitari potuit de lite illa, pro cujus decisione nunc producuntur 22.). Censet quidem Vir quidam doctus 23.), Diplomata quædam, licet ab Historicis rejiciantur, firmitatem suam tamen habere in Judiciis: ratio ejus est, quia putat, ejusmodi apographa jussu Regum esse renovata, proin habere in Judiciis vim probandi, licet a Notariis hinc inde immixti fuerint errores chronologici, historici &c. Hic discursus non satisfacit, nisi apographa exprimant, quod autoritate publica sint renovata. Credi enim non potest, quod Reges posteriores jufferint,

---

22.) Vid. D. JOAN. WILHELMUS WALDSCHMIDT Dissert. de Probatione per Diplomataria.

23.) ALEXANDER WILTHEMIUS apud PAPEBROCHIIUM in Propylæo antiquario ad Tom. II. Aprilis part. 1. c. 5.

serint, ut ejusmodi Apographis annectantur sigilla cujusdam antiquioris Regis aut Imperatoris &c. vel quod Notarii publici sibi sumpserint libertatem immiscendi falsa. Figmenta hæc censentur privatorum.

TITULUS XXVIII.  
DE JURE JURANDO GENERALIA PRINCIPIA.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 24. In Sext. Tit. II. in Clement. Tit. 9.*

§. 354.

*Juramentis*

JURIS JURANDI usus in Judiciis æque ac extra Judicia est frequentissimus: unde sparsim de eo in variis locis tractant Canonum & Legum Codices. Nos breviter, quæ magis necessaria videntur, duobus Titulis complectimur: hoc primo trademus generalia principia: sequenti titulo tractabimus de Juramentis variis in specie.

§. 355.

Bibliothecam Diplomaticam Scriptorum rei Diplomaticæ exhibet DANIEL EBERHARD. BARINGIUS in collectione variorum opusculorum, quæ inscribitur *Clavis Diplomatica.*